



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

14 Quibus causis feudum amittatur, culpa vasalli in alium, quam in
Dominum admissa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

bonis libertor. Nec cogi potest ad si feudum testimonium.

Sextum crimen, Si vassallus, sine consensu Domini feudum alienauerit, ex constitutione Federici Imperatoris feudum amittit, *lib. 2. tit. 35. vers. Caltida.*

Quid si alienauerit, sed nondum rem feudalem tradiderit? Respondet Andreas Ileruta apud Clarum, *quæst. 31. à feudo non cadere.*

Quid itidem, Si interuenerit traditio rei non vera, sed ficta? Respondeo sufficere, ut feudum amittat. Sic Paulus, & Parisius, & Tiraquellus apud eundem Clarum, *in eadem questione 31.*

Roges, An si alienatio, sit aliunde contractus irritus, & inanis, vassallus poenam incurrat? Respondet Parisius apud Clarum, *quæst. 31. prædictam poenam non incurrare.* At teste Duareno *in comment. in consuetudines feudorum. cap. 14. num. 16. ea constructio in Gallia non feruatur, sed vassallus liberum est alienare feudum, dummodo laudemium secundum curiæ consuetudinem Domino persoluat.*

Quæres, utrum poena afficiatur vassallus, si in alienatione dicat (saluo, & reservato consensu Domini) Lison apud Clarum, *quæstio. 31. ait esse communem sententiam, hoc non sufficere, ut vassallus liber sit à poena, nisi expresse dixerit se alienare saluo consensu Domini, ut non aliter, nec alio modo.*

Quid si vassallus ignorans alienauit feudum? Respondeo, ignorantiam non iuuare: & ideo feudum esse restituendum, & condemnandum emptorem ad id, quod interest domini, *lib. 2. Feudor. tit. 26. §. Si vassallus.*

Quid itidem, Si vassallus omnia sua bona vendiderit, an eo ipso feudum quoque vendidisse videbitur? Respondeo, minimè nisi id nominatim expresse sit, *lib. 2. tit. 26.* Nam generali alienatione, non dicitur quis alienasse, quæ specialiter alienaturus non esset. *l. Obligations generalis ff. De pignoribus, nisi appareat alioqui feudum vendere voluisse: quod potest colligi ex pretij quantitate, & aliis circumstantiis.* Veluti si pretium maius sit, quam esset, si omnia bona præter feudum venderentur, & tunc feudum amittit, & partem pretij auctori bonæ fidei restituere secundum conscientiam cogitur.

Quæres, An vassallus feudo nihilominus cadat, etiam si illud alienatum recuperauerit? Respondeo, cadere, & feudum ad Dominum reuerti, *lib. 2. Feudo. tit. 44.* Ita Bart. Alexand. & alij apud Clarum, *quæstione 31. quam opinionem dicit esse communem Cuius, ut testatur Clarus in loco citato.*

Quæres itidem, An si vassallus feudi tantum partem alienet, totum feudum amittat, an verò solum partem? Respondet Bald. teste Claro, *quæst. 31. totum feudum amittit.* Sed oppositam eius, *lib. 1. Feudorum tit. 38. habetur, parte feudi alienata sine consensu Domini, non totum feudum, sed partem tantum Domini apertij, hoc est, ad Dominum reuerti.* Et contra Bald. sentiunt communiter Doctores, ut testantur Cornucius, & Curtius apud Clarum, *quæst. 31.*

Septimum crimen, Si Titius vassalli Dominum offendat, & monitus vassallus à Domino, ut adductus filius, delicti veniam à Domino petat, si hoc non fecerit, nec à se filium amandet, feudo priuatur. *lib. 2. tit. 31. §. Insuper. Idem Iuris est de vassallis, cum quis ex domesticis eius, aut ex suis vassallis Dominum offenderit, lib. & tit. iam allegatis. §. Illud.*

Octauum crimen est, Si vassallus sit aduersus Dominum contumax, hoc est, si vocatus ad curiam Domini, venire neglexerit. *lib. 2. tit. 22.*

Nonum est crimen, Si vassallus iure feudi, vel inuestitura abutatur, *lib. 2. tit. 22. §. Quicumque.*

Decimum, Si vassallus ex genti Domino obsequia, ne gauerit se vassallum eius esse, *lib. 2. tit. 26. §. Vassallus. & tit. 34. §. vltim.*

Denique aliqui dicunt, ex iisdem causis feudum amitti, ex quibus donatio perfecta reuocatur, vel ex quibus causis filius iure exheredatur. *libro secundo, tit. 24. §. Prædictis.*

Quibus causis feudum amittatur culpa vassalli, in alium quàm in Dominum admiffa.

CAPVD XIV.

Oculpam vassalli non in Dominum, sed in alium commissam amittitur aliquando feudum. Primo, Si vassallus fratrem suum interfecerit, *lib. 2. Feudorum. tit. 37. præfertim si spe totius hereditatis consequenda trucidauerit: hoc enim crimen apud nobiles habetur detestabile.*

Secundò, Si hominem proditorie occiderit, *lib. & tit. præcitatis.* Et eisdem causis, quibus vassallus delicto suo feudum amittit, Dominus feudi proprietatem perdit, *lib. 2. tit. 47.* Ob reciprocam inter Dominum, & vassallum obligationem, *lib. 2. tit. 6. §. Dominus quoque.*

Dubie quæstionis est, An quando feudum vassalli culpa amittitur, vassallus ipso iure cadat à feudo ante vllam criminis condemnationem? Respondeo ex communi sententia, Quandoocumque culpa vassalli feudum amittitur, eo quod illud sine consensu Domini alienauit, ipso iure cadit à feudo. Unde tunc nulla opus est condemnatione, seu priuatoria sententia, sed tantum declaratoria criminis, sicut in alijs rebus, quæ ipso iure ob crimen alicuius amittuntur. *c. Cum secundum, de Hæret. in sexto.* Tunc enim Iudex pronuntiat, bona esse confiscata. Non admittit quidem bona, sed declarat, ea esse ipso iure adempta, seu potius amiffa, à tempore contracti criminis. Ita etiam in feudis Iudex pronuntiat, vassallum esse de crimine conuictum & tunc retrotrahit sententia, declaratur, feudum amiffum fuisse, à die factus commissi. Quando verò culpa sua feudum vassallus amittit alijs de causis, tunc nisi criminis fuerit conuictus, & sententia priuatoria condemnatus, feudum Dominus non recipit. *lib. 2. tit. 26. §. Vassallus, & lib. tit. 55. §. Sancimus.*

Quando Feudum sine culpa vassalli finiatur & desinat.

CAP. XV.

FINITVR Feudum absque vlla culpa vassalli.

Primo, morte vassalli, si decefferit sine filiis legitimis, & sine agnatis *lib. 1. tit. 10.* Appellatione filiorum intelliguntur nepotes, & ceteri descendentis masculi.

Secundò, Feudum desinit renuntiatione, si vassallus feudum repudiauerit, renuntiauerit ve, hoc est, si se feudo abdicauerit. *lib. 2. tit. 38.*

Tertiò, Si sacros Ordines susceperit, vel Religionem professus fuerit: Si vitium corporis exlaueat, ita ut idoneus amplius non sit ad obsequia debita præstanda, *lib. 2. tit. 26. §. Qui clericus, & tit. 36.* Hæc autem locum habere vbi fuerit vlti recepta: alioqui enim, pro varietate locorum consuetudines in his variantur.

Quartò, Cursu temporis, ad quod feudum est datum: ut si datum sit ad quartam generationem, & non ad vltiorem.

Dubie quæstionis est, An sicut præscriptione annorum triginta, feudum acquiritur, *lib. 2. tit. 26. §.* Si quis per triginta, etiam si quis ineptus non sit, ita etiam præscriptione triginta annorum possit feudum amitti, quamuis inuestitura præcellit. Respondeo, posse. Finge Titium esse vassallum Caij, & feudo esse inuestitum; nihilominus Seium per triginta annos feudum illud possedisse, & recognouisse, tanquam Dominum, ipsum Caium, tunc quemadmodum Seius acquirit præscriptione feudum, sic etiam Titius illud amittit.

Dubie itidem quæstionis est, An etiam longissimi temporis præscriptione amittat quis proprietatem feudi?

Respon-